

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Decima b
cum fontibus proximo et primo

Si decimam dederis, non solum habundanciam fructuum recipies, sed etiam sanitatem anime et corporis consequeris

quia
decimas dando et terrena et caelestia possis premia promereri.

Vnde
qui decimas dare noluerint, res alienas inuadunt,

et Dominus qui dignatus est totum donare,
decimas a nobis dignatus est recipere.

Augustinus ibidem (in sermone de decima)
et ponitur ibidem (XVI. questione I.: Decime).

→ Quod si decimam dederis, non solum habundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris.
Non igitur Dominus Deus premium postulat, sed honorem.
Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est accipere,
non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto magis peius est peccatum non dedisse?
De militia, de negotio et de artificio redde decimas.
Cum enim decimas dando et terrena et caelestia possis premia promereri
pro auaritia duplicem benedictionem fraudas?
Hec est enim Domini iustissima consuetudo,
ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris.
Dabis in pio militi quod non uis dare sacerdoti.
Benefacere Deus semper paratus est,
sed hominum malicia prohibetur.
Decimae etenim ex debito requiruntur,
et qui eas dare noluerint res alienas inuadunt.

← Gratianus, *Decretum*, 2.16.1.66 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.784).

Ecce habes in scripturis sanctis cautionem domini tui, per quam tibi promisit, quod, si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris.

REPLEBUNTUR, inquit, AREAE TUAE FRUMENTO, VINO QUOQUE TORCULARIA TUA REDUNDABUNT; et NON ERUNT IN EIS MORBI NEQUE CASUS.
Cum enim decimas dando et terrena et caelestia possis munera promereri,
quare per auaritiam duplici te benedictione defraudas?

Caesarius Arelatensis, *Sermones*, 33.1 (CCSL 103, G. Morin ed., p.144).

Decimae enim ex debito requiruntur;
et qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.

Caesarius Arelatensis, *Sermones*, 33.3 (CCSL 103, G. Morin ed., pp.145-6).

Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimum a nobis dignatur repetere,
non sibi, sed nobis sine dubio profuturam.

Caesarius Arelatensis, *Sermones*, 33.1 (CCSL 103, G. Morin ed., p.143).